



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

**Imago saeculi XVII. ad annum huius saeculi X. producta**

**Neuhusii Paderbornae, 1710**

Annus 1613.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-29436**



litibus ingentem Maroci Regis exercitum bis sternit, ac regnum occupat. Sed Rex alium adeptus magum primùm illum ejicit, qui nihilominus artem suam instaurans iterum Regem pellit. Sic nimirum ludunt Dæmones inter suos affeclas in perniciem infelicem animarum. *Spond.*

Parisiis in Synodo Episcoporum damnatus est liber Edmundi Richerii Syndici facultatis Theologicæ Parisiensis, quo impugnabat supremam Romani Pontificis potestatem in Ecclesia.

### ANNUUS 1613.

**R**atisbonæ habetur Conventus Imperialis à Matthia Imperatore; Multa in hoc conquesti de Catholicis Correspondentes, plura minùs æqua postulârunt. Capita præcipua postulationum erant, nonnullam Bullæ aureæ mutationem faciendam, abrogandam plurimum votorum authoritatem, inducendam novam juris reddendi rationem, & quæ dictabat præterea genius imbutus hæresi, addixêre tamen tum Ortho- tum Heterodoxi expeditionis Romanæ (ut vocant) collectam contra Turcas qui nunciabantur impendere Pannoniæ.

Bathorius in Transylvania à Bethlemo Gabore,



Gabore, qui & ipse clientelæ Ottomannicæ se subdiderat, Turcarum ope profligatur, & à suis anno sequente miserrimè occiditur.

In Ungaria contra pacis fœdera Turcæ aliquot pagos & oppida incendunt, & incolas in servitutem abripiunt. In mari verò mediterraneo non levia damna accipiunt à triremibus Regis Hispaniæ, & magni Ducis Hetruriæ.

Cosaci præcipuas Moschoviæ penitioris urbes evertunt & magnis thesauris potiuntur. Inde in Tartaros ducentes, eos ingentibus cladibus afficiunt; duas item & viginti triremes Turcicas in quodã portu incendunt.

Polonia vastatur à seditiosis militibus, Podolia à Tartaris.

Grassante peste in castra Danica, Danus cum Sueco pacem inire cogitur.

In Anglia celebrat nuptias cum Elisabetta Jacobi Regis Angliæ filia Fridericus V. Comes Palatinus Rheni & Elector; Monachi item Bojorum, cum Magdalena Guilielmi V. Bavaricæ Ducis, & Renatæ Lotharingicæ filia, Wolffgangus Guilielmus Comes Palatinus Neoburgicus, dissimulatâ etiamnum religione, quam animo complectebatur.

Ferdi-



Ferdinandus Cardinalis Mantuanus pio renuntiat & pro demortuo fratre provinciam gubernandam suscipit. Cum Carolo Emmanuele Sabaudo ratione Ducatus Monferatensis graviter diffidet.

*ANNUS 1614.*

**E**lector Brandenburgicus deserto Luthe-  
ro transit ad sectam Calvinii, Dux verò  
Neoburgicus ad sacra Romana, quæ 25 Ma-  
ji publicè cum magna solennitate profitetur  
Dusseldorpii, eademq; defuncto paulò post  
Parente Ludovico in ducatum Neoburgicū  
postliminio reducit.

Poloni sedato factioso milite per quinq;  
milliones invadunt denuò Moschos, & tres  
eorum exercitus feliciter profligant.

Cosacci Thraciam ad conspectum usque  
Constantinopolis, & Nagaiensem Tartari-  
am depopulantur. Bythiniam & Paphlago-  
niam vastant, Trapezuntem cum portu, ar-  
mamentario & 27 triremibus evertunt, Si-  
nopem incendunt, ingentique prædâ po-  
tiuntur.

Rex Gallia post tumultus aliquot utcun-  
que sopitos attingens annū 14 in parlamen-  
to Parisiensi 2 Octobr. regni administratio-  
nem suscipit, & trium ordinum comitia ce-  
lebrat;